

DEI IMMORTALIS  
 ERGA  
 SERENISSIMVM AC POTENTISSIMVM DOMINVM,  
 DOMINVM  
 FRIDERICVM AVGVSTVM,  
 PRINCIPEM ELECTOREM  
 SAXONIAE,

MVNERA ATQVE BENEFICIA,  
 DIE XVI. MAII, cIoIo CCLXVIII. A IX. MATVINA,

IN ATRIO CVRIAE,  
 GYMNASIVM BVDISSENSE

CONCELEBRABIT.

AD

OBEVNDIA EIVS PIETATIS SOLENNIA,

DEMISSA, ET HONORIFICE INVITAT,

SIMVLQVE

CHORVM AMABILISSIMORVM PRINCIPVM

EXHIBET

M. CHRISTOPHORVS HIEREMIAS ROSTIVS,  
 RECTOR.

BVDISSAE,  
 LITTERIS VIDVAE SCHOLZIAE,



EDITION ORIGINALE

1858

LEHRBUCH DER ANATOMIE DES MENSCHEN

VON DR. MED. J. C. F. WILHELM

LEHRBUCH DER ANATOMIE DES MENSCHEN

VON DR. MED. J. C. F. WILHELM

LEHRBUCH

1858

LEHRBUCH DER ANATOMIE DES MENSCHEN

VON DR. MED. J. C. F. WILHELM

LEHRBUCH

LEHRBUCH DER ANATOMIE DES MENSCHEN

1858

LEHRBUCH DER ANATOMIE DES MENSCHEN

1858

LEHRBUCH DER ANATOMIE DES MENSCHEN

1858

LEHRBUCH DER ANATOMIE DES MENSCHEN

1858

LEHRBUCH DER ANATOMIE DES MENSCHEN

1858

LEHRBUCH DER ANATOMIE DES MENSCHEN

1858

LEHRBUCH DER ANATOMIE DES MENSCHEN

1858

LEHRBUCH

LEHRBUCH DER ANATOMIE DES MENSCHEN





**E**udamidam, Archidami filium, fratrem Agidos, Plutarchus commemorat in facete dictis, cum ex eo quæreretur, qua de causa Lacedæmonii in-  
turi prælium ac certamen, Musis sacrificare sole-  
rent, respondisse: vt rerum gestarum bonos præcones inueni-  
rent. Et sane qui versatur in acie atque discrimine, cum neces-  
se habeat, grauissimos labores suscipere, et certissima adire peri-  
cula, videtur laborum suorum et periculorum æquam mercedem  
iure quodam expectare posse, atque adeo postulare, vt res præ-  
clare a se belli gestæ a præclaris scriptoribus, ad seculorum ad-  
mirationem consecrentur, et sempiternæ gloriæ maxime com-  
mendentur per eos, qui ipsi quoque in se commendando, ma-  
ximam ingenii gloriam consequantur. Itaque multi pugnantes  
etiam mortem oppetierunt, vt semper in animis hominum viue-  
rent, semperque essent admirabiles. Sed tamen haud scio, an  
magis sit ex vtilitate hominum generis, et magis accommoda-  
tum naturæ Musarum, quæ pacem atque otium amant, non de-  
esse clementer, mansuete, moderateque factis decora ingenia,  
et viros quidem lenioribus illis virtutibus excellentes, litterarum  
monumentis, amorem omnis posteritatis consequi, semperque  
amabiles esse.

Mihi certe, quamuis alios nesciam, sic videtur, placetque,  
ex auctoribus non contemnendis, eius generis Principum, id  
est, longe amabilissimorum, pulcherrimum chorum exhibere, qui,  
dum viuerent, adamati sunt ab omnibus, ardentem, et mira  
constantiam, mortui autem mortalium omnium fama, et summa  
benevolentiam celebrantur. Quod scribendi consilium existimo  
ab hoc tempore nullo modo abhorre, quo ipsa vrbs prope  
conuulsa sedibus suis, Amabilissimis Principibus, Serenissimo  
**Domino Friderico Augusto**, et Serenissimæ **Dominae**  
**Mariæ Amaliæ Augustæ**, obuiam procedere videtur.

Ecce autem duo viros, quasi chorum illum ducentes, qui  
etsi nunquam regnarunt, tamen suæ extiterunt principes ciuita-  
tis, eiusque maiorem partem complexi sunt, ex eodem popu-  
lo,

lo, Cn. Pompeium, et Germanicum Cæsarem. Ac de Pompeio quidem ab eius vitæ scriptore proditum est, eum omnium maturissime, vehementissime, constantissimeque a populo Romano dilectum fuisse, atque ita factum ob viri temperantiam, modestiam, eloquentiam, fidem, comitatem, et beneficentiam singularem: accessisse his moribus vultum liberalem, ingenuum, et ad adspectum etiam venustum, qui ipse sibi facile omnium voluntates coniungeret, ac conciliaret. Atque eo sicbat omnino, vt a populo multis et honoribus, et imperiis extraordinariis augeretur, vt senatum totum, et optimum quemque in suas partes pertraheret, efficeretque, vt mallent cum eo vinci, quam vincere cum aliis, vt denique apud ipsos aduersarios, quamuis tulissent arma contra, non esset in odio. Ei rei documento sunt, vt alia indicia prætermittam, quod Iulius Cæsar eius morti illacrimatus est, et statuas per ciuilem tumultum dissectas restituit, Octavianus autem Pompeii statuam, contra theatri eius regiam, marmoreo Iano supposuit, translata e curia, in qua Pater fuerat occisus.

Ventum est ad Germanicum, filium Drusi, qui Pompeium non quidem rerum gestarum magnitudine, sed tamen populi Romani erga se amore prorsus adæquauit, de quo Cornelius Tacitus multa præclare, non pauca Suetonius in Caio, vnde hæc degustare licuerit: *Omnes Germanico corporis, animique virtutes, et quantas nemini cuiquam, contigisse, satis constat: formam, et fortitudinem egregiam, ingenium in vtroque eloquentiæ, doctrinaque genere præcellens, benevolentiam singularem, conciliandæque hominum gratiæ, ac promerendi amoris mirum, et efficax studium — quorum virtutum fructum vberem tulit — sic vulgo fauorabilis, vt plurimi tradant, quoties aliquo adueniret, vel sicunde discederet, præ turba occurrentium, prosequentiumque non nunquam discrimen vitæ adisse — tamen longe maiora, et firmitora de eo iudicia in morte, et post mortem, extitere. Quo die defunctus est, lapidata sunt templa, subuersæ deum aræ, lares a quibusdam in publicum abiecti, partus coniugum expositi — sed vt demum, fato functum, palam factum est, non solatiis vllis, non edictis inhiberi luctus publicus potuit, durauitque etiam per festos Decembris mensis dies. Tam incredibile amor et pietas hominum fuit in Germanicum, vt, intemperata quadam benevolentia, et impie aduersus suos deos, et inhumaniter facere erga natos ex sese non dubitarent.*

Sequitur eiusdem gentis Titus Vespasianus, amor ac delicia generis humani, o nomen omnibus profecto omnium victoriis



riis atque triumphis longissime anteponendum! de quo disertis esse possemus, si ea tantum vellemus exponere, quæ omnium conscientia continentur. Sed enim ita non videtur opus esse, cum indocti etiam, et rudes litterarum, quoties similiter vocari audierint Principem aliquem meritum optime de republica, toties recordentur, quis primus meruerit appellari, atque ista appellatio nunquam memoriæ hominum, sine amabilissimo Tito, redeat.

Enimuero non committendum est, ut antiqua illa tempora vnicè laudare videamur, nostra autem bona eiusdem generis, quæ Deus immortalis huic Germaniæ, atque Saxoniam maxima dedit, ingrati animo contemnere, ac pro nihilo putare. Quocirca nunc deinceps amabilissimorum Principum exempla quædam recentiora, eaque domestica, age sane cognoscamus, vnum Virrebergicum, Saxonica duo.

Igitur inter Principes ex stirpe Virrebergica generatos nemo magis excellit amoris gloria, quam Vldaricus, Eberhardi filius, qui non modo suos magnis, atque immortalibus beneficiis sibi deuinxit, sed etiam ita cordi habuit vicinas nationes, ut earum temporibus nunquam deesset. Quam liberaliter autem hoc fecerit, id exinde apparet, quod de filiis suis, Eberhardo, et Henrico, dicere solitus est, cum simpliciter valde, prouti tunc erant tempora, tum amice vitæ hominum: se magnopere cupere, ut sui filii instar essent ollarum adipalium, vnde et vicinis populis benigne facere posset. Eius rei testem satis grauem habemus Iohannem Nauclerum, qui Vldarico vixit æqualis, et in Chronicis de eo hunc in modum scripsit: *Vldaricus et a subditis suis, et ab imperii Principibus bene amatus fuit, benignitate, et placabilitate insignis, adeo humanus, affabilis, pius, et clemens, ut vnicè ab omnibus diligeretur.* Atque talis animus erga ciues æque ac vicinos ei etiam Adamati cognomentum peperit, cuius honorem, quantum nos quidem scimus, atque meminimus, inde ab ultima memoria vsque ad hoc seculum, Principum nullus consecutus est; meruerunt et alii, Saxones imprimis, et ex Saxonibus præcipue Fridericus tertius, et Fridericus Christianus, dignissima vocabula, quæ, ut cum poëta loquar, in aeterna rosâ viuant.

Ac quod de C. Lælio accepimus, fuisse eum et sapientem, et hilaritatis atque comitatis laude floruisse, idem prædicare de Friderico tertio, ac vere licet. Non enim solum multa eius vel prouisa prudenter, vel acta excellenter, vel dicta acute, fe-



runtur atque celebrantur, verum etiam optimi Principis illam in audiendo facilitatem, in decernendo lenitatem, illam in appellando vnoquoque humanitatem, in largiendo liberalitatem, in sermonibus suauitatem, atque salubritatem, illam denique in ipso ore, atque vultu gratiam, quot scriptores, quam luculentam, et quanto consensu, quasi pleniore ore collaudant! Primos eorum Conradus Samuel Schurtzfließchius, et eius discipulus, nosterque præceptor, Henricus Augustus Schumacherus, in de Friderico sapiente aureolis libellis, exhibent, ex quorum monumentis, non tam præconium, quam verissimum testimonium, huc transferre iuvat, quod amabilissimo Principi, in oratione de Friderico, Philippus Melanchthon impertitus est his verbis: *Erant in Friderico, cum aliæ virtutes multe, ac magnæ, prudentia, quam etiam literis, et colloquiis sapientum aiebat, iustitia, amor veritatis, fides in pactis, constantia in bonis sententiis, beneficentia, tum vero etiam singularis moderatio, et comitas, ac, vt vetus scriptor inquit de gratia, quæ actiones humanas omnes eximie ornat, hanc suauitatem omnibus sermonibus, atque actionibus miscebat, quam etiam eruditio augebatur. — Vidimus ipsi manu eius scriptas sententias in paruis pagellis, quas adfixerat parietibus, vt in conspectu essent, de animi moderatione, videlicet hoc Senecæ dictum: nihil magnum, quod non est placidum; et hoc Plutarchi: vt sol cum venit in summum fastigium, tardius incedit, ita in summa potestate cunctantius, et moderatius omnia agenda esse. Quo facilius erit ad existimandum, quam charus perpetua vita suis, atque iucundus fuerit, cum nos quidem ab eo non annis, sed seculis disiuncti, quoties hæc legimus, vel audimus, mirifico studio erga Fridericum sapientem incendamur, eiusque præclarissimis operibus, quorum pars etiam huic nostræ ætati profuit, et prodest, incredibiliter lætemur.*

Atque cum huius Friderici laude rectissime coniungi videntur Fridericus Christianus, Princeps pari sapientia, et simili sensu atque indulgentia suorum præditus. Non reueremur assentandi suspensionem, cum hæc dicimus; dicimus enim apud eos, quibus Deus immortalis dederat, vt præsentem præsentem sagacissimæ, atque optimæ mentis Heroa, læti atque alacres viderent, Eumque diuino munere ac concessu præpositum Saxonis his, atque Lusatiis, auguste venerarentur.

Quotus enim quisque est, qui non meminerit difficillimi illius ac luctuosissimi temporis, quo belli incendium; sed extinguendum est, et præterit, neque consentaneum videtur horum dierum gratulationi ac lætitiæ, ista vulnera scribendo refricare.

Pie-



Pietatis autem testificandæ causa, nullo modo prætermittere, sed lubenter, ac gratissimo animo recordari debemus, Amabilissimo Principi, tametsi proprios dolores non mediocriter afflictæ Domus Suae haberet, tamen præcipuo dolori nostrum dolorem fuisse; Eum Suae mala humaniter satis tulisse, vexatione autem ciuium audita, ingemuisse, inque nostris miseris lacrimas sæpenumero profudisse. Res spectasset haud dubie ad desperationem, nisi Deus immortalis hoc nobis velut signum ad bene sperandum extulisset, nisi **Fridericus ille Christianus** cuiusque aduersam arumnam, pro copia ac facultate, leuasset, nisi alios re, alios consilio, omnes consolando adiuuisset, nisi denique, in ipso temporis articulo, pacis atque otii tranquillitatem nobis restituisset, qua summa, vsque ad hodiernum diem, gratia Deo, perfruimur. Atque hæc quidem ante, quam obtinuerat Principatum. Prouectus vero in illud summum fastigium, quam omnibus erat exoptatus Princeps, quam amabilis, quam salubris! Omnes Eum, non vt natum aliquem in hisce regionibus, sed tanquam celo demissum, ad dandam omnibus salutem, intuebantur. Omnes Eius amorem sentiebant; potentiam nemo, nisi aut periculi depulsione, aut accessione dignitatis. Omnes Amabilissimum Principem in sinu, in oculis, in visceribus, atque medullis, ferebant. Ipse autem nihil prius, nihil habebat antiquius, quam vt ferret opem iis, quibus tantam spem fecisset, et vt noua iaceret fundamenta reipublicæ, quam superiorum temporum fortuna euerterat, ad eamque ædificandam optimos quosque architectos quasi, et fabros adhiberet. Qua in re quanta cura, ac diligentia, vsus fuerit, vel ex hoc manifestum est, quod dicere solebat: Se quotidie mane Deum precari, vellet sibi dare hoc, vt viros probos cumprimis atque idoneos dignoscere, et quemque recte collocare, ac ponere loco posset. Neque vero non perfecisset opus magnificentissimum, quod tam fortiter inchoauerat, si moles eiusmodi intra menses tres, quos cheu! non totos omnino præfuit rei Saxonicæ, posset extrui.

Itaque huius rei gloria, cum Paterni et imperii, et amoris, hereditate, relicta est **Serenissimo Domino, Friderico Augusto, Principi Electori Indulgentissimo, Cuius** quidem pietas optauerat, vt **Patri**, non nisi annis grauisimo, et quam tardissime succederet; sed Deus immortalis festinauit, **Eius** virtutes ad reipublicæ gubernacula admouere. Quo magis **Ipse** decreuit **Optimus Princeps, D. Patris gloriosissimum Sibi** exemplum per omnia imitandum, et descriptionem ciuitatis

tis



70 3481 174

tis, ab Eodem sapientissime constitutam, retinendam prorsus esse: Quam EIVS mentem initia felicissimi Principatus fati superque declarant, cum omnium ea animis **Friderici Christiani** representent tam clare, et tam plane, memoriam, ut in **Friderico Augusto** reuixisse **Fridericus Christianus**, utique videatur. Tantum lætitiæ, solatii, et spei, **Nouus iam Princeps Saxoniam, atque Lusatiæ SVÆ**, attulit!

Vnice proinde, certatim, et sic amamus **Fridericum Augustum**, ut **D. Patrem Eius** amauimus, EVMque choro Principum amabilissimorum, id est, **IPSTVS** simillimorum, cum **Serenissima Maria Amalia Augusta**, læti atque ouantes inferimus, quæsumusque Deum, ut et nos, **Amabilissimus Princeps** nunquam possit odisse, neque vllum officium summi amoris, sanctissimæ fidei, paratissimæque obedientiæ, vel in vno ciue, requirere: utque ea vota, quæ pro salute, atque incolumitate **Augustæ Domus** suscipimus quotidie, soluere quotidie cogamur.

Supereft; ut paucis annectamus, quomodo **Gymnasium** hoc, in partem publicæ lætitiæ venire, et pietatis officio, suam vicem defungi cogitret. **Constituimus** autem, **Amplissimo Senatu** auctore, **Dei immortalis beneficia** in **Optimum Principem**, et per **EVM**, in omnes ciues collata, pridie eius diei, quo exoptatissimi aduentus **Principum** in hanc urbem expectari desinent, orationibus, a nona, ante meridiem, in atrio curiæ habendis, celebrare, ita, ut ego quidem rector **Gymnasii**, primo loco, de **Friderico Augusto**, Principe a Deo dilecto, verba faciam; deinde breuiter ostendant, quantum ex Eodem Principe, lætitiæ, solatii, et spei capiat vniuersa **Saxonia, atque Lusatia**, simulque itum reditumque **Dominicum**, summis precibus Deo immortalis, commendent, ex discipulorum nostrorum coetu, quorum nomina inferius adscripsimus,

*Carolus Augustus à Truchses, Eques Lusatus.*

*Johannes Carolus Gottlob Nostitz et Lenckendorff, Eques Lusatus.*

*Johannes Fridericus Hammanni, Budissensis.*

*Johannes Fridericus Dürisch, Craupa Lusatus.*

Ad quem actum obeundum, omnes vel generis nobilitate, vel dignitatis gradu, vel litterarum studiis, atque elegantia præstantes, demisse, et honorifice inuitamus.

P. P. Budissæ, die XV. Maii, 1708.



Vd  
3481

DEI IMMORTALIS  
ERGA  
SERENISSIMVM AC POTENTISSIMVM DOMINVM,  
DOMINVM  
FRIDERICVM AVGVSTVM,  
PRINCIPEM ELECTOREM  
SAXONIAE,

NERA ATQVE BENEFICIA,  
MAY, c1o CCLXVIII. A IX. MATVTINA,  
IN ATRIO CVRIAЕ,  
SIVM BVDISSENSE  
CONCELEBRABIT.

AD  
A EIVS PIETATIS SOLENNIA,  
MISSE, ET HONORIFICE INVITAT,  
SIMVLQVE  
MABILISSIMORVM PRINCIPVM  
EXHIBET  
TOPHORVS HIEREMIAS ROSTIVS,  
RECTOR.

BVDISSAE,  
ITTERIS VIDVAE SCHOLZIAE,

